



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Disp. CXVII. An intellectus hominis viatoris distinguere possit diuina  
attributa sine ordine ad aliqua distincta realiter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

corpus, vnaquæque enim ratio differt ab alia realiter, sic ergo licet in eadem re composita, aut quæ habet rationem totius, reperitur duplex ratio formalis, si tamen vna non est alia ex natura sua, & ante intellectum, erit realiter ab ea distincta.

Porro autem distinctionem realem, non solum eorum, quæ inuicem simul separari possunt, sed eorum etiam, quorum vnum saltem sine altero esse potest, licet non contra, præter rationem ipsam confirmat aperte autoritas Aristotelis 7. topicorum c. 1. loco 15. his verbis. *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Hoc eodem argumento, quod vnum sine alio manere possit, probat Augustinus lib. 6. de Trinitate c. 6. aliud esse magnitudinem, aliud figuram, aliud colorem. Et Bernardus sermone 80. in cantica animam non esse suam iustitiam, & sanctitatem eadem ratione colligit. Probari etiam manifeste potest, quia quoties aliqua duo sola ratione nostra diuersa sunt, re autem sunt idem omnino, sola cogitatione possunt separari, sicut sola cogitatione sunt diuersa.

*Probat  
authoritate  
Arist. &  
August.*

CAPVT VI.

*Respondetur argumentis Scoti.*

26.  
*Soluitur 1.  
ratio Scoti.*

**I**Am vero argumenta Scoti nullo negotio dissolui possunt, & primum sane, vt aliquid probaret, debebat supponere, esse conceptum quædam communem sapientie creatæ & increatæ, & iustitie creatæ & increatæ, & de alijs attributis eodem modo. Si enim ratio illa communis sapientie ex natura rei differret à ratione iustitie communi, bene sequeretur, talem sapientiam, scilicet infinitam differre ex natura rei à iustitia infinita, & sic de alijs. Verum cum formæ creatæ, & increatæ nihil commune esse possit, nisi tantum nomine, vt in disp. 22. cap. 4. probatum est, argumentum nullam vim habet, distinctio enim inter iustitiam, & sapientiam non est constituenda in vniuersum, sed in quolibet genere, aut creatæ sapientie & iustitie, aut increatæ. Porro si in genere increatæ dicantur formaliter ex natura rei differre, assumitur id quod probandum, & in conclusione colligendum erat. Sed age concedamus conceptum communem creatæ & increatæ iustitie, & sapientie, adhuc argumentum non probat. Cum enim dicitur, sapientiam in vniuersum ex natura rei differre, negandum est, nam cum illi conceptus sint tantum vniuersales, per nostrum intellectum, solum etiam per rationem nostram debent differre, solumque concedendum est, in conceptu sapientie nõ includi conceptum iustitie, quod non tantum concedimus in vniuersum, sed etiam speciatim de ipsis diuinis attributis, vt infra ostendemus.

*Soluitur 2.  
ratio Scoti.*

Ad secundum respondeo, ob solam distinctionem rationis multi de vno attributo à nobis annunciari, quæ de alio nequaquam prædicari possunt, vt de intellectu, quod generet, intelligat, quæ de voluntate dici nequeunt: hoc enim prouenit ex diuersitate conceptuum, quos proxime voces significant, vt à nobis apprehenduntur, nam si attributa Dei à nobis conciperentur, vt sunt, & ita à nobis nominarentur, vnicò con-

ceptu simplicissimo, & vnica voce, quidquid in Deo est, exprimeremus: nec vnum sine alio, aut concipere, aut nominare possemus. An vero ob eandem diuersitatem conceptuum, & cogitationis vnum attributum de alio absolute prædicari valeat, disp. 119. dicemus.

Vltimò denique obseruandum est frustra et hac distinctione formali, quam Scotus dicit esse ante intellectum, colligi ab eo distinctionem realem emanationum, & personarum procedentium, quasi illa formalis distinctio radix sit realis, & maioris distinctionis, quam ipse constituit inter personas.

DISPVATIO CXVII.

An intellectus hominis viatoris distinguere possit diuina attributa sine ordine ad aliqua distincta realiter.

*Attributa per intellectum posse distingui ostenditur contra Nominales. c. 1.*

*Attributa in Deo conuenire sine respectu ad creaturas realiter distinctas, contra Durandum probatur. c. 2.*

*Attributa in Deo à nobis non posse distingui sine respectu ad creaturas distinctas, c. 3.*

CAPVT I.

*Attributa per intellectum posse distingui ostenditur contra Nominales.*

**N**ominales contra Scotum non solum estimant, attributa inter se, & ab essentia nullo modo ex natura rei ante operationem intellectus differre: verum etiam contra Thomistas, neque per intellectum distingui posse. Ita docent Gregor. in 1. d. 8. quæst. 2. art. 1. & 2. Maior quæst. 1. Gab. in d. 2. quæst. 1. art. 1. Probat vero hac ratione: quia quidquid in se diuinum est, & sine vlla distinctione natura sua non potest per aliquod extrinsecum distingui, & separari. Intellectus autem nostra cuiuslibet rei est extrinsecus, ergo ea nulla res potest distingui, & separari. Intellectus Gregorius & Maior, licet attributa in seipsis non distinguantur per intellectum: distingui tamen aliquo modo ratione connotari: hoc est ratione effectus, quem aliquo modo respiciunt. Cum enim misericordia Dei nostræ miserie succurrat: contra vero iustitia punit nostra delicta, qui duo effectus inter se distinguuntur: merito dicuntur per connotata distingui, quod nihil aliud est, quàm ipsos effectus attributorum re ipsa differre, nam ex effectuum distinctione nullam in ipsis attributis distinctionem oriri, ex eorum ratione manifestum est: Si enim intellectus, quia est aliquid extrinsecum attributis, ea distinguere nequit, eodè pacto nec effectus, qui etiam sunt extrinseci, illa distinguunt: perinde ergo est, differre attributa per connotata, atque eorundem effectus distinguui. Sed quia aliquando effectus attributorum non distinguuntur, vt effectus iustitie, & misericordie, quia in omni effectu vtriusque ratio reperitur, vt communiter Scholastici docent in 1. d. 46. & S. Thom. supra q. 21. art. 4. ideo Greg. & Maior subiungunt, hæc attributa non per res connotatas, sed per nomina solum differre, ac si dicerent, solo nomine distingui.

*Oppo*

Opposita tamen sententia verissima est: nempe, attributa Dei, multa que alia in creaturis, quæ ex natura rei nullo modo differunt, per rationem distingui posse. Ita docent S. Thom. Caiet. Henricus, Auerroes, Augustinus, Niphus, à nobis allegati superiori disput. cap. 4. Marfil. in primum qu. 2. art. 3. in 2. parte articuli, Durand. in 1. d. 2. qu. 3. n. 9. Capreol. in 1. d. 8. q. 4. art. 1. concl. 2. & Canariensis in hunc artic. disp. 1. parte 2. qui notat nomine rationis non intelligi ratiocinationem, neque syllogismum, neque definitionem rei, quæ omnia etiam dicuntur ratio: sed intellectum, seu conceptum, quem de re aliqua sibi format, & obijcit intellectus. Nam in intellectu non solum est qualitas, quæ est intellectio, sed etiam res, quam cognoscimus, & media illa qualitate fit nobis præiens: cumque multa de Deo nobis obijciantur, & cognitione fiat præsentia, quorum unum ita cognoscimus, vt de alio, non cogitemus, fit vt in nostro conceptu multa de Deo appareant, & hæc appellamus attributa Dei, quia ratione nostrâ, & conceptione distincta à nobis Deo attribuantur. Vnde autem proveniat, vt multa nobis obijciantur, quæ reuera plura non sunt, sed vnica res simplicissima, sequenti disputatione dicemus. Obseruandum vero est, hanc diuersitatem conceptuum, quos obiectiuos vocamus, ex pluralitate reali conceptuum, quos appellamus formales, provenire: hoc est, ex pluralitate qualitatum, & cognitionum, quas in nostro intellectu exprimitur. Nam quæuis qualitas suo modo rem representat, & quia imperfecta est nostra cognitio, paulatimque procedit, rem simplicem & indiuiduam, quasi per partes nobis obijcit: quare si distinctio rationis vocetur, accepta ratione pro conceptu obiectiuo, vel accepta pro ipso intellectu, qui operatione sua diuidit indiuidua, perinde est. Cum ergo intellectus varie rem apprehendat, quæ simplicissima est, quis neget, eam ab intellectu nostro diuidi & distingui: non quia res ipsa, quæ est extra, & in se ipsa intrinsece diuidatur, sed quia ex illa diuersos elicitur nobis conceptus obiectiuos. Quo fit, vt varia nomina, quæ diuina signifi- ant perfectiones, non sint synonyma, vt notauimus supra qu. 13. art. 4. quia nomina non significant nobis proxime res, vt in seipsis sunt, sed vt nobis obijciuntur, vt disp. 75. c. 3. dictum est. Quare cum viatoribus Deus sub varijs obijciatur perfectionibus, nomina illa viatoribus non erunt synonyma, quia non significant eis eadem omnino, sed diuersa in suo conceptu faciunt cognoscere. An vero beatis synonyma sint, sequenti disput. videbimus.

Ex quibus secunda ratio contra Gregorium elicitur: nam si attributa Dei, vt ipse asserit, non semper differunt per res connatas, seu effectus sed aliquando per nomina, consequitur, interdum solo nomine differre, quæ autem hoc modo tantum distinguuntur, synonyma sunt, vt ensis, qui vocatur gladius & ensis eadem prorsus ratione. Tam etiam quauis connotate res differant, si ipsa in se attributa, quæ primo & directè significatur, non differunt, erant omnino synonyma: nam synonyma ex per se significato, non ex eo, quod accidentarium est, & extrinsecum, sumenda est: atqui concedi non potest, attributa Dei esse synonyma, in differenter enim nomina omnia pro eodem usurparemus, ergo ex parte directè

*Parquet in 1. partem To. 11.*

Et significati distinctio aliqua assignari debet.

Ratio vero Nominaliū friuola est, nam quamuis in se nihil re ipsa diuidi, & distingui possit per aliquid extrinsecum aliquid, diuisum & distinctum vocari potest, multa enim talia appellantur ab aliquo extrinseco. Adde quod cum dicimus in Deo attributa distingui, loquimur de illis non vt in ipso Deo sunt, sed, vt nobis obijciuntur, sic autem diuisa sunt, cognitio enim, & qualitas in intellectu expressa hanc habet virtutem, vt licet non attingat rem ipsam externam, intus tamen faciat illam præsentem, & diuerso modo apparere, ac proinde aliquando representatione diuidat, & distinguat, quod re ipsa indiuisum est quo pacto dicimus attributa, & reliqua, quæ in Deo indiuisa sunt à nobis distingui. Quod vero Anselmus in monologio capite 16. negare videtur distinctionem rationis in Deo, iam à nobis explicatum est superiori disputatione capite quarto,

CAPVT II.

*Attributa Deo conuenire sine respectu ad creaturas realiter distinctas contra Durandum probatur.*

**D**urandus in primum dist. 1. d. 1. notat, duplicem posse esse sensum questionis propositæ: An attributa distingui possint in Deo sine respectu ad creaturas realiter distinctas. Alterum, an perfectiones, quæ dicuntur attributa, conueniant Deo sine ordine ad creaturas realiter distinctas, alterum, an à nobis distingui possint sine respectu ad creaturas diuersas. Quod vero attinet ad priorem sensum, respondet, omnia attributa, quæ Deo conueniunt, aut per oppositionem cum creaturis, aut per respectum causæ, non conuenire sine respectu ad creaturas, forsitan intelligit Durandus, ea attributa, quæ Deo conueniunt, quatenus est causa in actu, vt attributum creatoris. Attributa prioris generis appellat ipse infinitum, immentum, incorporeum: posterioris vero generis esse putat, creatorem, iustificatorem, & forsitan omnipotentem, quauis hoc attributum non significet causam in actu, sed in potentia.

Verum de attributis prioris generis non placeat eius sententia, quia quauis negatio significata formaliter illis nominibus non esset, si impossibilis esset opposita forma & habitus, & ita si non esset possibile corpus, non esset possibilis negatio corporis, & sic de alijs: qua ratione conuictus fuit Durandus, vt illud assereret, tamen cum his nominibus non tam significetur à nobis negatio, quam positium, quod negatione à nobis, sicut multa alia, melius significatur, dici non potest, attributa illa quatenus sunt in Deo perfectiones, in eo non futura, si alia opposita forma in creaturis non esset, perfectio enim illa positua non pendet ex opposita, quæ in creaturis reperitur, tamen negatio pendeat.

De attributis vero posterioris generis fatemur ea, quæ significant causam in actu, vt est iustificator, creator, Deo non conuenire, nisi per respectum ad creaturas, quibus sublati, eo quod possibiles non essent, & ipsa attributa Deo non conuenirent, dicimus tamen, hæc non esse Dei attributa, vt ex ijs, quæ notauimus disput. præcedenti

*Solutio Nominaliū ratio.*

*4. Durand. que sitione resp. pond. i. c. m. distinctione*

*Altera pars sententie Durandi refutatur.*

*Altera pars illius probatur.*



denti cap. 1. colligitur: aut si ea dicantur attributa, nullam tamen in Deo significare perfectionem actus, præter illam, quam Deus habet, quatenus potens est, hæc omnia facere. Nam actu iustificare, actu creare, nulla in Deo peculiaris perfectio est, præter potentiam, quam diximus.

Concludamus ergo, nullum attributum, quod aliquam Dei perfectionem peculiarem significat, Deo convenire per respectum realem ad creaturas etiam possibles, neque omnipotentiam, neque sapientiam, & scientiam. Nam quamvis hæc à nobis relate ad creaturas significentur, nihilominus tamen in Deo absoluta sunt secundum rem, ut disputatione 104. cap. 6. probavimus. Sunt ergo in Deo attributa, quæ sunt Dei perfectiones, sine respectu ad creaturas, ut late ostendit Sanctus Thomas qu. 7. de potentia artic. 6. & Henricus quodlib. 5. quaestione 1.

Nullum attributum Deo in virtutem ipsa vela est

CAPVT III.

Attributa in Deo à nobis, non posse distingui sine respectu ad creaturas distinctas.

6. *Attributa distingui per ordinem ad creaturas diuersas*

S. Thom.

Durand. Capreol. Niphus. Gotfredus.

Ratio Dur.

Ratio efficax ex S. Thom.


7.

Posterior sensus quaestionis propositus est, an varia attributa à nobis in Deo distingui possint sine respectu ad creaturas. Consentiant autem doctores, quos ego de hac re legere potui minime posse in Deo plura à nobis distingui, nisi nostri intellectus respiciat creaturas re ipsa distinctas. Ita docet S. Thom. in 1. d. 2. q. 1. art. 3. in 3. part. illius, & opusc. 6. qu. 2. 2. & 3. quaest. 7. de potentia artic. 6. Durand. in 1. d. 2. q. 3. nume. 10. & sequentibus, Capreol. d. 8. q. 4. art. 1. conclu. 4. & art. 3. in fine in solutione cuiusdam argumenti. August. Niphus 12. metaph. disp. 13. cap. 4. Gotfredus quodlib. 7. q. 1. ut refertur ab Scoto loco allegato disp. 116. c. 3. Probat vero Durand. 1. quia ut distinctio rationis non sit omnino ficta debet habere fundamentum aliquod in re: in diuina autem essentia, cum simplicissima sit, non est fundamentum aliquod distinctionis: ergo ratio nostra creaturas respicere debet ut instar illarum in Deo distinguat, id quod re ipsa indiuiduum est. Secundo item confirmat Durandus, quia ea, quæ videntur aliquam habere imperfectionem, si Deo tribuantur, per respectum ad creaturas tribuenda sunt, ut quod sit creator nunc, qui antea non erat: pluralitas autem quandam in se imperfectionem includit: ergo non est Deo absolute concedenda, nisi per respectum ad creaturas. Verum hæc rationes ex communioribus principijs procedunt: quare non multum probant. Tertio igitur efficacius probatur: quia, ut docet S. Thomas quaestione illa septima de potentia, ex duplici capite prouenit, ut simplicissima Dei essentia distingatur à nobis in varias perfectiones, primum ex imperfectione nostræ cognitionis, quia non concipimus Deum, sicuti est: deinde quia per species creaturarum rerum, & perfectionum ipsarum concipimus: quare non possumus non creaturas distinctas realiter, vel distinctas perfectiones respicere: ideoque ex diuersis effectibus aut ex diuersis creaturarum perfectionibus. Deo varia attributa assignamus: ut iustitiam, quia unicuique tribuit, quod suum est, & quod se in proprio iure obseruat: misericordiam, quia aufert nostram miseriam, & intelligere, & velle, ex ijs quæ in nobis

videmus, nam instar eorum perfectiones Dei consideramus. Idem omnino contingit, cum in rebus creatis per intellectum aliqua distinguimus, quæ re ipsa distincta non sunt. Nam rationem generis, & rationem differentie non distinguimus per intellectum nisi plurimam se videremus, ex parte similia esse, ex parte differre. Sic etiam ipsam actionem & passionem distinguimus per respectum ad agens, & passum. Quinimo distinctio, etiam de re à se ipsa, cum eam de se ipsa predicarem, quæ videtur minima distinctio, per ordinem ad diuersa realiter à nobis sit: cum enim eadem res in propositione ex parte subiecti, & ex parte prædicati ponatur, eodem nomine repetitur, ut cum dicimus, Petrus est Petrus, illo distinguimus in duo per analogiam ad alias propositiones in quibus prædicatum & subiectum sunt diuersa: tamen si prædicta distinctio Petri à se ipso non sit de re ex parte conceptus obiectiui, sed de nomine: non quia sit diuersum nomen ex parte prædicati & subiecti, sed quia idem bis repetitur: unde etiam prouenit ut Petrus bis à nobis concipiatur, quod sane non est distingui, sed in cognitione nostra, & in voce iterari. Alio sane modo posset Petrus distingui à se ipso: nempe sener à se ipso iuene, sed si aliquam nossem intellectus format de illo distinctionem eam sane deducit ex ordine ad diuersa realiter distincta, nimirum ex ordine ad accidentia, & alia, quæ varias etates comitantur.

Ex dictis inferunt in omni distinctione rationis duplex esse fundamentum, ut intellectus noster distinguat in rebus: alterum est, quia res non concipiuntur proprio, & distinctio conceptus, sicuti sunt: alterum, quia eas intelligimus relate ad aliqua distincta realiter. Prius fundamentum in solummodo concipiendi esse dicitur: posterius vero etiam in rebus, non quidem in ipsis, quas distinguimus, cum in illis non sit pluralitas, nec reale vestigium illius, illa inquam pluralitas, quam postea per intellectum distinguimus, sed tale fundamentum est solum in rebus, quas respicientes, ea quæ simplicia sunt, intellectu nostro distinguimus. Quare non video, quo modo dicant Thomistæ, distingere distinctionem, quam vocant rationis ratiocinata, & ratiocinantis, quod hæc non habeat fundamentum in re, sed in solo nostro modo concipiendi. Næque quæuis distinctio rationis in utroque habet fundamentum, ut explicatum est.

Sed dicunt distinctionem rationis ratiocinatae habere fundamentum, non tantum in rebus alijs quarum instar illam efficiamus, verum etiam in re ipsa, quæ per rationem distinguitur, non quia in ea sit aliqua pluralitas, sed quia talis natura est, ut cogat nostrum intellectum in ea plura distinguere nec solum pro libito id faciat cum ad illam quæ est rationis ratiocinantis, non cogatur intellectu, sed eam pro libito confligat. Verum contra hæc est manifesta ratio, quæ ex dictis colligitur, quia nunquam intellectus noster distinguit plura in eadem re, nisi quando rem non cognoscit perfecte, sicuti est, ut latius sequenti disput. ostendemus. Deinde semper, dum distinguit, attendit ad illam quæ distincta realiter, respectu quorundam distinctio quod indiuisum est, ergo non pro libito, sed ex modo naturali nostræ intellectiois, nulla ergo distinctio



distinctio rationis fundamento à nobis fit; sed rem facimus quasi coacti: quia rem perfectè non intelligimus: nam si perfectè notitia cognosceremus, nequaquam possemus in plura distinguere, vt sequenti disputatione patebit. Distinctio autem illa eiusdem à se ipso non est distinctio de re ipsa, vt supra dixi, sed est nominis quædam, aut etiam eiusdem conceptus repetitio; aliud autem est repetitio conceptus, aliud autem distinctio. Qualis vero distinctio sufficiat, vt vnum de altero non prædicetur, disputatione 119. explicandum est. Neque ab hac nostra sententia dissentit Henricus quodlib. 5. quæst. 1. non enim contendit nostrum intellectum posse, in Deo plura distinguere, quæ re ipsa distincta non sunt, sine ordine ad creaturas distinctas realiter: sed solum docet, diuinum intellectum in sua essentia plura distinguere posse attributa, etiam si nullæ essent creature, quarum instar ea distinguat: quod à verum sit, statim videbimus.

DISPUTATIO CXVIII.

An intellectus Dei, & Beatorum in ipso Deo distinguere possit varia attributa.

Opinio Henrici & Canariensis, cap. 1.

Attributa non distinguuntur in ipso intellectu diuino, aut etiam beato. cap. 2.

Intellectu diuino aut beato non posse attributa distinguere per respectum ad creaturas, aut ad intellectum viatorum, cap. 3.

Corollaria præcedentis doctrinæ, cap. 4.

Respondetur argumentis Henrici & Canariensis, cap. 5.

CAPVT I.

Opinio Henrici, & Canariensis.

PRæsens disputatio non solum de diuinis attributis furata est, sed etiam de quacumque re indiuidua, an scilicet ab intellectu diuino, & intelligente eam, sicuti est, proprio & quidditatio conceptu, in plures rationes distinguere possit, sicut à nobis viatoribus Deus distinguitur; est enim omnino eadem ratio. De intellectu igitur Dei, & Beatorum docet Henricus quodlib. 5. q. 1. ipsum optime posse ita distinguere diuina attributa, vt ad distinguendum necesse ei non sit aliquas creaturas realiter distinctas respicere, sicut nos viatores respicimus. Vnde colligit, etiam si non essent possibiles plures creature, realiter distinctæ futurum nihilominus vt intellectus diuinus, & Beatus distingueret in Deo plura attributa: cuius sententiam amplectitur Canar. in hunc cart. disput. 2. dub. 3. in fin. Fauent etiam Durandus & Caietanus, vt infra notabitur. Vt autem hanc sententiam explicet Henricus, notat, essentiam diuinam, etiam si in se simplicissima sit: tamen quatenus est veritas intellecta ab ipso Deo, & beato, bifariam considerari posse, primum quatenus est veritas simpliciter, quæ iam in totum intellecta: & hoc modo nec beatus homo, nec Deus plura attributa in ea distinguere possit: est tamen, inquit Henricus, in ea cognitione multiplicitas attributorum virtualiter. Deinde considerari potest essentia diuina, vt veritas intellecta, circa quam intellectus Dei, aut beatorum negotiatur (inquit ille) hoc est, conatur inuenire, & inter se conferre perfectiones huius es-

sentia, & hoc modo plura in ea attributa distinguere potest, quorum distinctionem ait fieri ab intellectu diuino, & beato per respectum ad intellectum, & voluntatem ipsius Dei; quia nimirum intellectus Dei aut beati concipit essentiam diuinam, & voluntatem, & rem volitam, vt intelligentem, & rem intellectam. Sic enim distinguere possunt, & omnia Dei attributa, quæ pertinent ad intellectum, vt quod sit verus, sapiens, prouidens, &c. Et quæ pertinent ad voluntatem, vt quod sit bonus, iustus, misericors, &c. Colligit ex his omnia attributa Dei præter absolutum esse, quod in Deo habent, includere etiam respectum rationis, quem diuinus, aut beatus intellectus addit.

Durandus in d. 1. d. 2. q. 3. num. 20 solum negat, distinguere posse in Deo attributa à diuino intellectu sine ordine ad creaturas distinctas realiter: quare concedere videtur, posse attributa ab ipso Deo distinguere, non vt putauit Henricus per respectum ad ea, quæ sunt intra ipsum, sed per respectum ad creaturas. Propterea dixit Durandus ex parte facere cum Henrico: conuenit enim in eo, quod ait, ab intellectu diuino posse attributa diuina distinguere: idemque eadem ratione affirmare debet de quouis intellectu vidente Deum, sicuti est. Denique Caietanus supra q. 13. artic. 4. circa solutionem 3. docere videtur ab intellectu diuino distinguere diuersos conceptus ipsius essentia, bene tamen à quocumque alio intellectu creato, etiam si beatus sit. Quare hi omnes eadem proportionem concedunt, ab intellectu diuino, vel à quocumque creato cognoscente rem, si uti est, posse plura distinguere in re, in qua nulla est distinctio ante intellectum, siue illa sit Deus, siue quacumque alia res creata.

Hæc sententia probatur primo: Deus, & Beatus intelligunt omnem veritatem, quæ est in essentia diuina: intelligunt ergo in Deo rationem intellectus & voluntatis; rationem iustitiæ & misericordiæ, quia hæc omnia sunt in ipso; hæc autem veritates distinctæ sunt, ergo intelligunt eas distinctas, ac proinde ipsi attributa verè distinguunt. Hanc vero distinctionem non fieri necessario per respectum ad creaturas distinctas realiter probat secundo Canar. quia licet non essent plures creature distinctæ possibiles; esset nihilominus in Deo sufficiens fundamentum distinguendi attributa. Nam si necessaria esset aliqua distinctio realis, cuius respectu attributa deberent distinguere, in Deo illa reperitur, cum in eo processiones distinguantur realiter. Tertio hoc ipsum probat Henricus, quia attributa sunt in Deo sine villo respectu ad creaturas; neque enim dicitur sapiens quia est causa sapientia creaturarum, sic enim non esset formaliter sapiens, sed ab effectu, & sic de alijs; Ergo attributa intelligi possunt, & distinguere sine ordine ad creaturas.

Quartò idem confirmari potest hoc argumentum Durandi, in Deo est realis distinctio personarum absque ordine ad creaturas; ergo potest esse distinctio rationis, consequentia nititur communi propositione, qui potest esse maior, potest esse minor, & vbi potest esse maior, potest esse minor. Ergo vbi potest esse distinctio realis sine ordine ad creaturas, potest esse minor distinctio attributorum, quæ est per intellectum sine eo ordine. Quintò denique est aliud Durandi argumentum, distinctio personarum supponit distinctionem principiorum producen-

2.

Henrico ex parte Durandus.

Caietanus etiam conuenit.

3. Prima ratio pro Henrico sententia.

Secunda ratio. Canar.

Tertia ratio. Henricus.

Quarta ratio. Durandus.